requiruntur, quàm ad bonitatem, concluſimus actum electionis ſemper ſuam eſſentialem ſpeciem malitiæ ab obiecto ſuo proximo, & immediato deſumere, ac idem pariformiter aſſerendum de Intentione; licet enim, ut actio ſit bona, non tantùm requirat obiectum bonum, ſed etiam ut directè, & expreſsè ſit volitum, ut tale; nihilominus ut ſit mala, etiam eſſentialiter, ſufficit obiectum malum eſſe volitum quacunque ratione etiam indirectè, ac ſolùm interpretativè, ſiquidem malum ex quocunque defectu reſultat. Confirmatur, ex alia regula ibi tradita, quod illa ſpecies moralitatis cenſeri debet prima, & eſſentialis in actu, quæ nunquam mutatur; illa verò accidentalis, quę mutatur, manéte adhuc actu in eadem ſpecie moris; quando ergo quis furatur ad mæchandum, cùm actus furti eſſe nequeat ſine malitia injuſtitiæ, benè tamen ſine malitia mæchiæ, dicendum eſt illam ex medio deſumptam eſſe actui eſſentialem in genere moris, hanc verò ex fine deſumptam eſſe accidentalem, & ſic in aliis pariter diſcurrendum erit. Tandem id quod tribuit primam malitiam actioni, nec ſupponit eam in genere moris conſtitutam, tribuit ſpeciem eſſentialem: ſed obiectum proximè terminatium tribuit primam malitiam electioni, cũ prius intellectio trãſiſſe intelligatur ſuper ſuum obiectum proximum, ſcilicet, medium, quàm reſpiciat finem, undè vocari ſolet aſſenſum à mediis ad finem, ergo eſſentialem; maior patet, quia ſi eſt prima in genere moris; ergo non accidentalis: quia accidens ſupponit aliquid in eo genere conſtitutum ſubſtantialiter, in quo dicitur accidens; minor etiam patet ex dictis, quia ad tribuendam malitiam ſufficit ſola terminatio abſq; motione: idem pariformiter dicendum de obiecto proximo intentionis, quod, ſcilicet, ab eo ſumat intentio primam, & eſſentialem malitiæ ſpeciem, non qua movens, ſed qua immediatè terminans: ubi nota, hanc doctrinam habere locum, ſive intentio, & electio importent diverſos voluntatis actus, ſive unum, & eundem, ut evenit interdum, ut dixi *diſp.7.de anima q.7. art.1.* ità enim quamvis eſſet unus actus, tamen ille ipſe, quatenus electio haberet ſuam eſſentialem malitiam à medio & quatenus intentio à fine.

236 Neque fundamentum primę ſententię urget de malitia, ut etiam Vaſquez ipſe concedit illa *diſp.c.3.num.20.* ubi ait non oportere affectum ferri in obiectum malum propter eius malitiam, vel aliqua alia peculiari ratione, ut ſpecificetur ab eo etiam eſſentialiter, quia minus requiritur ad ſpecificandum actum in ſpecie mali, quam in ſpecie boni. Ad Confirmationem licet concederetur maior de actu in eſſe naturę conſiderato, non tamen eſt univerſaliter vera in genere moris, & præſertim in ſpecie malitiæ, quæ non neceſſariò poſtulat obiectum motiuum, ut refundatur in actum. Dices Ariſt. 5. *Ethic.c.2.* qui furatur propter adulterium magis eſt adulter, quàm fur: ergo prima ſpecies malitiæ ſumitur ex fine. Negatur conſequentia, quia aliter, ſit ſpecificatio operantis, quàm actus; aliud enim eſt loqui de actionibus ipſis, ſcilicet, intentione, & electione, ut furtum, & adulterium; aliud de ipſo operante, qui denominatur ſimul fur, & adulter; Ariſt. loquitur de ſpecificativo operantis, non operis, & rectè loquitur, quia adulterium eſt magis operanti voluntarium, quam furtum, & ideò magis ab eo denominatur, quam ab iſto, & quidem in hoc caſu non dicitur operans magis adulter; quam fur ab actu electionis, ſed intentionis, quæ utique ſpecificatur à fine, tanquam ab obiecto proximo. Dices Cajet. hinc ſequi finem ſemper eſſe circumſtantiam malæ electionis, cum nunquam det primam ſpeciem ſed hoc eſt falſum, quia cum quis furatur propter adulterium ratio formalis, quæ movet ad furtum, eſt adulterium, ergo non poteſt eſſe circumſtantia actus volendi, ratio enim formalis non eſt circumſtantia. Tùm quia, cum quis vult furari propter adulterium, primum quod vult eſt fornicatio; quia furtum vult propter fornicationem; ergo eſſentialiter ab ea ſpecificabitur.

Reſpondetur negando minorem; ad primam probationem negatur conſequentia, etenim quoad ſpeciem malitiæ tribuendam ratio formalis, ſeu obiectum formale, eſt obiectum proximum, quod ſcilicet, immediatè actum terminat, eſtò propter aliud, quia ut det primam ſpeciem, non eſt neceſſe, quod ſit obiectum motiuum, & propter ſe volitum, ſed ſufficit, quod ſit proximè, & immediatè terminatiuum. Ad aliam probationem item negatur conſequentia, quia aliud eſt loqui de operante, aliud de operatione, ille enim ſpecificatur, ac denominatur principaliter ab intentione, & ab obiecto motivo, hęc verò ſpecificatur ab obiecto proximè terminativo præſertim in ſpecie malitiæ: Ex quo colligitur, quod ſi ſint duæ electiones, quarum unaquæque habeat obiectum proximum ſpecie diverſum, ſi ex eodem fiant motivo, ex fine extrinſeco, ut ſi propter fornicationem furtum committo, & periturum, futuras eſſentialiter ſpecie diverſas ex malitia ſuorum obiectorum, licet accidentaliter eiuſdem ſpeciei eſſe poſſint ex malitia finis, quam communiter accipiunt.

Quid ſit de Bonitate dicendum.

Quid verò ſit de bonitate dicendum, & reſolutione præcedentis difficultatis deduci poteſt; Quando enim obiectum electionis eſt per ſe bonum, & proximè amatur propter ſuam bonitatem, cum relatione ad alium finem extrinſecum habentem bonitatem formaliter diſtinctam, tunc ſpecies ex obiecto deſumpta eſt eſſentialis illi actui, deſumpta verò ex fine eſt accidentalis, ut tertia opinio dicebat; cuius ratio eſt, quia bonitas obiecti ex ſe ſufficiens eſt dare actui ſpeciem virtutis: ergo ſi actus proximè, & immediatè tendit in obiectum propter propriam ipſius honeſtatem, utique ſumet ab eo primam, & eſſentialem virtutis ſpeciem. Confirmatur, quia in tali caſu bonitati applicari poteſt regula jam tradita de malitia, quia hęc ſpecies ex obiecto deſumpta eſt invariabilis in tali actu; voluntas enim dandi eleemoſinam propter honeſtatem illius obiecti ſemper eſt in ſpecie miſericordiæ, ſive referatur in finem pænitentiæ, ſive religionis, ſive in quodcunque aliud bonum. Cæterum hic ſtatim recurrit difficultas iam tacta *n.* 228. ſi enim quis eligat medium, non tantùm eo quod utile eſt ad alium finem, ſed ſimul etiam eo quod honeſtum eſt in ſe; tunc utique talis actus habet ſuam bonitatem eſſentialem à tali obiecto; ſed tunc tale obiectum potius habet rationem finis, quàm medii, & talis actus non eſt pura electio, de qua tractamus, ſed eſt quædam particularis intentio extrinſecus ordinata ad ulteriorem finem, ut Suarez ipſe fatetur *ſect. 6. cit. n. 6.* Quarè hæc de cauſa Suar. ibidem concludit, quod loquendo de actu purę electionis, ut ſic nullam prorſus bonitatem habet à medio, ſed primam ſuam, eſſentialem ſpeciem accipit à fine; undè ſi finis honeſtus eſt, & propter illum, quatenus talis eſt, proxima intentione eligatur medium; prima bonitas talis electionis eſt ex fine, & illa eſt intrinſeca, & eſſentialis tali electioni, atque ideò invariabilis in tali actu; ita etiam Salmant. Lezana, Alvarez, & alii citati.

Verùm, quoniam *n.* 229. oſtenſum eſt actum purę electionis, ut ſic, bonitatem accipere poſſe a medio bono, quatenus tali nimirum quando conſideratur, & amatur in aliquo medio utilitas ipſa ad finem alterius virtutis, non ſolùm ut concomitanter ſe habens, ac veluti materialiter ad honeſtatem eiuſdem medii, ſed ut fundata in ipſa honeſtate, itaut ratio appetendi ipſam honeſtatem ſit, quia ipſa honeſtas illius medii utilis eſt ad ulteriorem finem; dicendum eſt conſequenter talem bonitatem purę electionis ex medio deſumptam eſſe primam, & eſſentialem in actu ob regulam aſſignatam, quia ipſa invariabilis eſt in actu, utpotè illi ex natura rei conveniens, udi bonitas ex fine extrinſeco deſumpta variari poteſt ad libitum operantis undè vel abſolutè negandum eſt actum purę electionis, ut ſic, ullam ſumere bonitatem à medio, quatenus tali, quod tamen valdè difficulter negari poteſt ob rationes ſæpiùs inculcatas, & præſertim, quia ſi tota bonitas eſſet ex fine, omnia media eſſent æqualis bonitas, quia bonitas finis eſt eadem, & fruſtrà eligeretur unum medium præ alio; quarè ſi electiones, ut ſic, inter ſe ſunt inæquales in bonitate, cùm hanc diverſitatem ex fine habere nequeant, qui eſt unus, & idem eam ex mediis in ſe diverſis habere fatendum eſt, vel ſemel conceſſo actum electionis etiam ex medio bonitatem ſumere, hanc utique fatendum eſt eſſe primariam, & eſſentialem, utpotè in actu invariabilem, & ex natura rei, ſeu ex obiecto illi convenientem, & hæc quidem fuit quoque ſententia expreſſa D. Thomæ *p.2.q.7.ar.3.ad 3.* aſſerentis finem operantis non dare actui ſpeciem ſubſtantialem, ſed eſſe circumſtantiam eius: ut ſi quis fortiter pugnaret ob liberationem patriæ ſpecies eſſentialis illius actus non ſumitur ex liberatione patriæ, ſed ex bono fortitudinis, ut notat Serra *q.18.ar.6.* in quo caſu pugnans pro patria licet appetat honeſtatem fortitudinis, non tamen amat, ut talem, ſed quatenus honeſtas talis medii utilis eſt ad patriæ liberationem, ideoque electio talis medii ſumit honeſtatem ab eo, qua tale, & ſub ratione purę electionis, non autem quatenus quædam particularis intentio extrinſecus ordinata ad ulteriorem finem, in quo duntaxat ſenſu Auctores tertiæ ſententiæ concedebant electionem ſumere eſſentialem bonitatem à medio.

Reſpondet Suarez *ſect.2.cit.* quando ad bonum finem eligitur medium alioqui bonum, & honeſtum ex obiecto, ut quando eligitur eleemoſina ad ſatisfaciendum pro peccatis; ſi talis honeſtas non intendatur formaliter, ſed tantum eligatur realiter propter finem extrinſecum, electio habebit unam tantum ſpeciem eſſentialem ex fine; ſi autem medium ex ſe honeſtum amatur propter propriam honeſtatę, & prętereà ordinetur in ulteriorem finem; tunc ille actus nõ eſt propria electio, de qua hic agimus, ſed quędam peculiaris intentio ad ulteriorem finem ordinata; Ad illud de electione unius medii præ altero, inquit hanc poſſe oriri ex fine, vel ex ipſo medio, & ſępè ex ſola voluntatis libertate; primum contingit, quando ipſa media, ut media ſunt inæqualia, quia ſcilicet, unũ magis confert ad finem, quam aliud; tunc enim finis quantum eſt de ſe movet efficacius ad eligen-

eligendum utilius medium; ſecundum contingit, quando media, ut media, ſunt æqualia in utilitate, tamen unum excedit aliud in aliqua alia ratione boni, quæ licet non conferat ad finem, eſt tamen per ſe appetibilis, & hac ratione unum præfertur alteri, ſed tunc electio non habet rationem purę electionis, ſed induit rationem intentionis. Hæc ſolutio principium petit; ſupponit enim id de quo eſt tota quæſtio, nempè eleemoſinam factam in peccatorum ſatisfactionem non poſſe derivare ſuam bonitatem in actum electionis, niſi ejus honeſtas intendatur, & aliquo modo appetatur propter ſeipſam; etenim nos contendimus non tantùm hoc modo ſuam bonitatem in actum electionis refundere poſſe, ſed etiam ſi ejus honeſtas appetatur præciſè, quatenus utilis eſt ad finem pænitentiæ conſequendum; quo pacto præciſè appetitur in ordine ad illud, & adhuc etiam honeſtè; quia utilitas ad bonum finem bona eſt; & ſicut ad malum finem mala eſt, nam eſſe utile ad bonum eſt bona utilitas, ſicut eſſe utile ad malum eſt mala utilitas.

Neque dicas, utilitatem bonam, vel malam medii à bonitate, vel malitia finis totaliter derivare; Nam utilitas ad finem, quæ in ipſo medio eſt, eſt aliquid diſtinctum à bonitate finis, nec illi omninò ab extrinſeco obuenit à bonitate finis, ut generatim dixi de bonitate mediorum in ordine ad finem *diſput.7. de anima quæſt.5.num.107.* undè in propoſito utilitas eleemoſinæ ad finem pænitentiæ fundatur in honeſtate miſericordiæ, quam de ſe habet, non autem in honeſtate pænitentiæ. Ex quo etiam deducitur falſitas alterius dicti Suarez, quod quando media ſunt inæqualia, electio unius medii pręaltero oriatur totaliter ex motione finis; quia ſi finis movet magis ad eligendum medium utilius; jam ergo medium hoc habet illam majorem aptitudinem, & utilitatem ad finis conſecutionem, à bonitate, & motione finis non mendicatam, atque ideò inæqualitas electionum in bonitate procedet ex diverſitate mediorum, & non ex fine, qui eſt unus, & idem.

240 Reſpondet Suarez, quo utilitas ut ſic, non facit rem amabilem, niſi ſupponat rem amatam, ad quam eſt utilitas; utilitas enim in genere loquendo, nihil aliud eſt, quàm virtus ad cauſandum aliquo modo effectum; undè non habet rationem convenientis, vel diſconvenientis, niſi quatenus effectus ipſe conveniens, vel diſconveniens eſt; ergò in medio utili, ut ſic, tota ratio convenientiæ in ordine ad appetentem ſumitur ex fine, atque ideò amare utilitatem medii, & amare illud ob finem, non ſunt duo, ſed unum, & idem. Sed Contrà; quia ſi utilitas mediorum non eſt niſi virtus cauſativa finis in eſſe reali, ſicut re vera eſt; jam media eam à fine non habent, ſed ex propria natura, & conditione, quia virtus cauſativa non emendicatur in cauſa ab ipſo effectu, ſed ipſum antecedit; ex eo igitur, quod utilitas, ut ſic, non faciat rem amabilem, niſi ſupponat rem amatam, ad quam ordinatur, non benè deducitur, quod non ſit diſtincta à bonitate finis, & quod non habeat convenientiam, vel diſconvenientiam aliam ab ea, quæ reperitur in fine; ſed ſolùm quod ſit bonitas dependens à bonitate finis, & illi ſubordinata, & quod movere non poſſit primariò, & principaliter, ſed ſolum ſecundariò, & dependenter à bonitate finis; Denique quamvis amare utilitatem medii, & amare illud ob finem ſint unum, & idem, cum hoc adhuc ſtat, quod talis amor poſſit à medio deſumere bonitatem ſpecie diverſam ab ea, quæ derivatur ex fine, ac etiam ſibi eſſentialem.

241 Ad fundamentum Vaſquez pro prima ſententia adductum *n.234.* conceſſo antecedente cum prima conſequentia, negatur altera; imò quia electio primariò directè, & immediatè cadit ſuprà medium, & ſecundario tantum ac mediatè reſpicit finem, undè vocari ſolet aſſenſus à mediis ad finem; primam, & eſſentialem ſpeciem ſumet à medio, ſaltem in genere moris, tanquam à ſuo obiecto proximo, quàm à fine, qui eſt obiectum remotum; Ad Confirmationem jam dictum eſt *nu. 136.* quod licet concederetur major de actu electionis in eſſe naturæ conſiderato (quod nec etiam abſolutè conceſſimus *diſp.7. de anima q.7.n.154.*) non eſt tamen univerſaliter vera in genere moris; Quod ſi dicas, ut obiectum refundat bonitatem in actum, debere eſſe motivum, nec ſufficere quod ſit terminativum, alioquin nullum eſſet diſcrimen ex parte obiecti in refundenda bonitate, & malitia. Reſponderi poteſt primò negando aſſumptum cum ejus probatione; adhuc enim inter bonitatem, & malitiam hoc intercederet diſcrimen, quod obiectum ut det bonitatem, debet eſſe formaliter directe, & expreſsè volitum, ſive ſic ſit volitum motivè, ſive ſolùm terminativè, ut autem det malitiam, ſufficit voluntarium virtuale, indirectum, ac interpretativum, poteſt etiam dici, quod licet utilitas mediorum non moveat affectum primariò, & propter ſe, movettamen ſecundariò, ut dictum eſt *diſp.7.cit.n.110.* ex Scoto *3.diſt. 34.q.un.K.* & dependenter à bonitate finis, quod ſufficit ad refundendam bonitatem in actum electionis.

Dices, actus ſpecificatur à ratione formali obiecti, non à materiali, ſed finis ſe habet, ut obiectum formale electionis, medium verò ut materiale, quia finis eſt ratio volendi media, ergo &c. Reſpondeo majorem non eſſe univerſaliter veram in genere moris, quia ſpecies malitiæ ſumitur etiam ex obiecto materiali; deindè ad minorem dico, quod finis operantis, quando habet rationem circumſtantiæ, eſt ratio volendi media extrinſeca, & mediata, ratio autem immediata, intrinſeca, ac eſſentialis, eſt propria illorum bonitas, & ideò hæc ſpeciem tribuit actui; porrò verum eſt finem aliquando non ſolum habere rationem finis; ſed etiam rationis formalis attingendi aliquod obiectum ordinatum ad illum, tuncque ſpeciem eſſentialem dare actui: ut quando proximum diligo propter Deum, tunc divina bonitas non ſolum eſt finis propter quem amatur proximus, ſed etiam ratio formalis amandi illum, & ideò illa dat ſpeciem eſſentialem charitatis illi amori; univerſaliter tamen loquendo finis ſolum dicitur obiectum formale electionis, medium verò materiale, quia bonitas mediorum vel nullatenus eſt motiva ad amorem, vel ſaltem non primò motiva, ut docet Doctor *loc.cit.3.d.34.cit.*

Tertia Difficultas.

Tertia Difficultas eſt: an idem actus plures poſſit habere fines ſimul, & ſemel moventes, à quibus etiam multiplicem accipiat bonitatem, vel malitiam, de quo fusè agunt Recentiores Suar. *tract. 3.diſp.4.ſect.3.* Arriaga *diſp.15.ſect.2.* Ovvied. *tract.4. contr.3.punct.4.* & alii. Nos breviter rem expediemus ex dictis in Philoſophia tract. de cauſis; Poteſt itaque in primis idem actus habere plures fines ſubordinatos, id eſt, non æquè proximè, & immediatè moventes, ſed ordine quodam; ſequitur ex præcedentibus, ubi viſum eſt, actum unius virtutis fieri poſſe ex imperio plurium virtutum cum ſubordinatione unius imperii ad aliud, & clariſſimè docetur tum à Scoto *quol.18.* infrà. Tum D. Bonav. *2.d.38.art.1.q.3.* & quidem res de ſe patet, quoad illum ſubordinationis modum jam prædeclaratum, in quo actus unius virtutis aſſumitur, ut medium in ordine ad actum alterius; unde declaratione tantum indiget quoad alium ſubordinationis modum, in quo plura utique adhibentur motiva in ordine ad eundem actum cum aliquo eorum ordine, unum tamen non habet rationem medii in ordine ad alium, ſed unum quodque habet ſolum rationem finis, & extrinſeci motivi ad eundem actum; aliquo tamen ſervato ordine, quatenus unum movet magis principaliter, aliud minus, unum proximè, alterum remotè, quo ſubordinationis modò ſemper utimur, quoties argumenta adducimus ad aliquid ſuadendum ab honeſto, utili, & delectabili; poteſt itaque hic idem ſubordinationis modus intercedere inter plura motiva honeſta, de quibus præſertim loquitur Scotus *l.r.* in quo caſu, & ordine motivum principale eſt proximum, minus principale remotum: & remotum ſubordinatur proximo, non è contrà; in quo differt a primo ſubordinationis modo, ubi motivum proximum ſubordinatur remoto, ut medium fini, non ita hic, undè ibi implicat, quod motivum proximum ſit etiam principale, non verò in hoc ſecundo ſubordinationis modo.

Sed Obiicies, unus numero habitus non poteſt eſſe in duplici ſpecie virtutis, quia virtutis juſtitiæ, non poteſt eſſe ſimul virtus miſericordiæ; ergò nec unus numero actus, cum ſit par ratio; eſſet autem in pluribus ſpeciebus virtutum ſaltem accidentaliter, ſi ex motivis diverſarum virtutum elicereturr. Negat Beccanus paritatem de actu, & habitu, quia habitus ex natura ſua non inclinat, niſi ad actus ſuæ ſpeciei, nec pendet ex libera noſtra intentione, ut inclinet ad actus diverſæ ſpeciei; at operans efficere poteſt, ut actus qui proximè verſatur circà obiectum honeſtum, & indè accipit primam, & eſſentialem bonitatem, ulterius referatur ad honeſtum finem extrinſecum, imò, & ad plures, à quibus ſingulis ſumat accidentalem bonitatem. Poſſet tamen adhuc in bono ſenſu admitti paritas, ſicut enim habitus ſecundum ſe inclinat tantum ad actus ſecundum ſubſtantiam, & concomitanter tantum ex coexiſtentia, ſcilicet, ad dictamen prudentiale inclinat ad actus juſtitiæ, vel miſericordiæ; ſic ex pluribus actibus liberè elicitis generatur habitus ſecundum ſubſtantiam, & ex pluribus actibus liberè, & cum coexiſtentia ad dictamen prudentiale juſtitiæ concomitanter producitur virtus juſtitiæ; poterit itaque juxta hanc doctrinam ex pluribus actibus elicitis principaliter ex uno dictamine v.g. juſtitiæ, & minus principaliter ex alio, ſcilicet, miſericordiæ, generari habitus, qui in genere moris ſit in ſpecie juſtitiæ eſſentialiter, & in ſpecie miſericordiæ accidentaliter; quæ doctrina ſi non placet, poteſt abſolutè negari paritas ob multa diſcrimina inter actus, & habitus verſantia, ut Beccanus advertit *loc.cit.*

Deindè idem actus habere poteſt plures fines non ſubordinatos, partialiter tamen duntaxat moventes; quod ipſa experiętia patet: multoties enim voluntas unum medium præfert alteri, quia valet ad plures fines, quam alterum, quo caſu movetur ſimul ab amore illorum omnium finium æquè primò, ſed non poteſt à ſingulis totaliter moveri, ut mox dicemus, ergo &c.

Confirmatur, quia fatentur omnes in causis extrinsecis posse ejusdem numero effectus plures esse causas partiales, ejusdem generis æquè principales, nec inter se subordinatas in causando, ut patet de pluribus navim trahentibus in genere efficientis causæ; ergò hoc idem possibile erit in genere quoque finalis causæ, & ita duæ honestates misericordiæ, scilicet, & liberalitatis partialiter æquè primò me movere possunt ad dandam eleemosinam: quo casu istæ duæ honestates ita integrarent unum totale motivum, unamque totalem causam finalem, ut altero eorum deficiente deficiat etiam, & actus, ad quem me movent, utraque enim necessariò requiritur ad hoc, ut actus ille existat, & continuetur; ita enim in casu posito voluntas movetur partialiter à singulis, ut deficiente uno motivo cessaret ab amore obiecti, ad cujus amorem ab eis impellitur; & sicut in hoc casu illæ duæ honestates per modum unius me movent, & ita integrant unam totalem causam, ut altera deficiente, actus ille idem specie, & numero continuari nequeat; ita dicendum quod actus ille foret alicujus tertiæ specici, ac virtutis innominatæ, & in aliqua specie innominata in genere moris essentialiter, ut ait Tataret. *quol.*18. Quando vero motiva sunt invicem subordinata altero modorum jam assignatorum *n.* 242. non ita integratur ex eis unum totale motivum, quia altero eorum deficiente, quod scilicet, præbet tantùm speciem accidentalem, adhuc retinere potest actus essentiam suam specificam etiam in genere moris, quam totaliter habet ex uno eorum, non partialiter ab omnibus, ut in proposito.

245 Vrgebis, habitus temperantiæ non potest elicere actus, nisi sub proprio motivo, non enim producit actus, nisi similes his, à quibus est genitus; ergò ille actus, qui extendicur ad motivum obedientiæ, non fit ab habitu temperantiæ: Respondeo distinguendo antecedens; si habitus concurrit, ut causa adæquata, concedo; si ut partialis nego, tunc enim concurrit simul alter habitus obedientiæ, cum quo habitus temperantiæ potest elicere actum tendentem ad utramque honestatem, sicut equus se solo non potest generare, nisi equum, & tamen cum Asina generat mulum, quæ est alia tertia species diversa ab utroque parente, quod etiam in plantis quotidiè cernimus evenire. Dices, hinc sequi per ejusmodi actum mixtum, augeri utrumque habitum ex quibus partialiter procedit, vel gigni tertium novum habitum ad utrumque illud motivum tendentem, qui tamen tendere possit ad singula seorsim, quæ mirabilia videntur. Resp. concedo gigni tertium quendam habitum ad utrumque illud motivum tendentem, qui tamen tendere possit ad singula seorsim, nam exercitio horum actuum experimur majorem facilitatem ad singula etiam motiva, quod provenit ex eo, quod habitus relictus ex his actibus posset concurrere ad actus omnes circà singula motiva unà cum habitu proprio, & peculiari illius virtutis.

246 Tandem dicendum est, eundem actum esse non posse ex pluribus finibus totalibus proximis, adæquatis, & non subordinatis, ita D. Bon. 2. *dist.* 38. *art.* 1. *q.* 3. dum ait, sic igitur ex dictis colligitur, quod bonæ voluntatis plures esse possunt fines, itaut unus ejusdem bonæ voluntatis fines principales repugnat; ita etiam Scotus 1. *dist.* 2. *q.* 3. *B.* & 3. *dist.* 1. *q.* 2. *A.* Et probatur primò ex communibus, quia universaliter loquendo, in quocumque genere causæ implicat unum, & eundem numero effectum producì à pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis conjunctim, ut dictum est *disp.* 8. *Phys. q.* 3. *art.* 2. & licet diximus ibi non multum esse de fine curandum, quia ejus causalitas non est vera, & realis; addimus tamen *n.* 72. præstare etiam in moralibus negare eundem actum virtutis fieri posse ob plures fines totales, & æquè primos; Et rationem addimus ibi etiam ex propriis, quia in moralibus, finis totalis dat speciem actui essentialem, & primam in genere moris: si ergò actus aliquis æquè primò ex duplici motivo virtutis totali exerceretur; jam actus ille æquè primò poneretur in pluribus speciebus essentialibus, quod repugnat in moralibus æquè, ac in physicis. Confirm. quia sicut diximus ibi in genere causæ efficientis nullum fingi posse casum, in quo duæ causæ totales æqualis activitatis, & eodem modo eidem passo applicatæ producant totaliter eundem effectum, ut docet Scotus 4. *dist.* 10. *q.* 2 *Q.* tali enim modo ab utraque sic applicata causabitur, qualis à singulis divisim causari non potest; ità in proposito dicendum de duabus causis finalibus, quod simul applicatæ nunquam eodem modo effectum producent, quo facerent seorsim: nam vel eum producent perfectiorem, vel in minori tempore, aut alia consimili disparitate; quarè si duo motiva virtutis voluntari applicentur ad talem actum ponendum, ad cujus productionem alterum illorum sufficeret, tunc dicendum esset, quod vel voluntas in actum duplo perfectiorem prorumperet: vel in actum in æquali gradu, sed citius, & velocius in duplo: & tandem, ut ait Tataret. *quol.* 18. nunquam voluntas ex uno operabitur motivo eo modo, quo ex duobus, quia cum his semper operabitur cum majori promptitudine, claritate, &c.

Sed instat Hurtad. *disp.* 13. *de anima sect.* 7. ubi non tantùm id 247
asserit esse possibile absolutè loquendo, verum etiam sæpjus de facto ita contingere in genere causæ finalis; potest enim quis facere eleemosinam, tùm ut satis faciat pro peccatis, tùm ut Deum honoret, tùm ut proximo succurrat, itaut hæc omnia simul intendendo propter singula habeat absolutam voluntatem faciendi illud opus, sed in hoc casu omnes hujusmodi fines concurrerent totaliter ad stipis erogationem, singulorum enim concursus ita sufficiens supponitur, quod oriretur à quolibet illorum existente stipis erogatio. Resp. ex data doctrina negando minorem, nam ex pluribus illis motivis de se sufficientibus ad eundem actum coniunctim sumptis oritur ille idem actus, vel in gradu perfectiori, vel si in æquali gradu, non tamen in æquali tempore, sed longè minori; vel si tandem in æquali etiam tempore, non tamen æquali facilitate, vel promptitudine, ac facerent seorsim, sed longè minori; quorum quodlibet sufficit ad arguendam partialitatem, & insufficientiam concursus uniusculusque ad largitionem eleemosinæ in casu proposito; & cùm probatur fines illos esse totales, & totaliter causantes, quia si unus eorum deficeret, adhuc existeret stipis elargitio ex alio motivo; dico quod existeret stipis elargitio quoad substantiam, sed non quoad circumstantias, quatenus non existeret tali modo, nempè non in tanta perfectione, vel non æquali tempore, aut facilitate, & promptitudine producta: vel ad summum probat unumquemque illorum finium posse disjunctim concurrere ad eundem actum quoad substantiam, ut causam totalem, non tamen coniunctim ob duplicem repugnantiam explicatam in probatione asserti.

Verum ad excludendam hanc Scoti responsionem Hurtad. *disp.* 8. *Phys. sect.* 20. §. 190. constituit arctiorem casum, in quo nimirum causæ plures efficientes, vel finales simul applicatæ sint æquales omninò, tùm quoad substantiam, & gradum effectus, tùm quoad modum producendi ipsum, ita scilicet, ut quælibet seorsim eundem, in eodem gradu, & pro eadem temporis parte, que v.g. sit instans, ac tandem eadem facilitate producere possit: in hoc enim casu dicere non possumus, quod produceretur effectus perfectior, supponimus enim perfectiorem fieri non posse, nec dicere possumus citius produci ab ambobus, quàm ab altero eorum, quia instans est indivisibile; ergò in hoc casu admittere cogimur duas causas totales totaliter causantes respectu ejusdem effectus. Resp. casum hunc implicatorium esse; ex una enim parte supponitur actum perfectiorem elici non posse: & ex alia parte admitti debet voluntatem ex duplici motivo operantem magis voluntariè, & cum majori impetu in actum prorumpere, quàm ex uno duntaxat; at compertum est, quò majori impetu voluntas operatur, perfectiorem actum elicere: ergò casus hic est prorsus implicatorius.

At hanc quoque solutionem evertere nititur *loc. c.* de anima 248
alium proponendo casum: demus hominem iter facere volentè ex motivo charitatis, quo perseverante ei præcipitur iter, illudque vult, quia præcipitur: & tunc per actum obedientiæ iter non fieri citius, aut alacrius, sed fortè molestius, quia licet velit obedire, tamen aliquam ob causam stomachatur præcepto, & præcipienti, iter tunc fit ex duplici motivo, non tamen citius, nec alacrius. Respondeo hunc quoque casum implicare, nam si homo inceptum iter ex motivo charitatis continuat adhuc ex motivo obedientiæ, & hujus virtutis amore, repugnat omninò, quod illud non continuet promptius, & alacrius, alias nec omninò voluntariè, nec verè virtutis amore illud ageret; imò hoc etiam concesso, cùm in eo casu novam superet difficultatem, quam affert motivum obedientiæ, fieret consequenter actus intensior, quia cum majori voluntatis conatu ad novam difficultatem superandam; & tandem utroque casu admisso, adhuc non assequitur intentum propter duplicem repugnantiam jam assignatam. At rursus replicat *l. c.* de anima §. 52. & 53. erogatio stipis non oritur physicè ab illis intentionibus levandi miseriam inopis, & Deo placendi, sed tantùm intentionaliter, ut est ab illis volita absolutè; ergò oritur ab utroque fine totaliter, quia ob utrumque est absolutè volita. Confirmatur, quia tunc voluntas efficaciter amat medium illud per utrumque actum, quia unus alterum non impedit, ne causet elargitionem stipis finaliter; ergò ab utroque causatur totaliter.

Respondeo negando antecedens, si ly *absolutè volita* idem sonet, quod volita totaliter, quamvis enim erogatio stipis nò oriatur physicè, idest, in genere causæ efficientis ab illis duabus intentionibus, & finibus; verè tamen causatur in genere causæ finalis; & pluralitas dependentiarum essentialium judem rationis, & non subordinatarum in hoc genere, non minus repugnat in eodem effectu, quam pluralitas earundem in genere causæ efficientis. Ad Confirmationem negatur consequentia, & dici potest unum actum impedire alium non retardando ejus causalitatem, sed potius præveniendo ejus totalitatem, quia dùm hic finis finalizat effectum, etiam alii fines in eodem genere causant; atque ideò effectus non totaliter pendet ab hac causa, cùm etiam simul, & semel ab alia pendeat in suo fieri; ex quo fit ut

ficut effectus aut perfectius, aut celerius, aut saltem facilius ab omnibus simul producatur, quàm à singulis seorsim, quemadmodum accidit, cùm idem ponderus trahitur à multis facilius, & citius, quàm à singulis; aut perfectius, ut cùm aer illuminatur à pluribus corporibus luminosis; alias quoque obiectiones urget Hurtad. *l. c.* quæ facilè diluuntur tùm ex proximè dictis, tùm ex dictis generatim *disp.* 8. Phys. *q.* 3. *art.* 2. de implicantia processionis ejusdem effectus à pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis coniunctim.

Quarta Difficultas.

249 Quarta Difficultas est, an bonitas finis, seu intentionis tollat, vel saltem diminuat malitiam medii, seu electionis; Affirmarunt auctores gravissimi ex antiquis nedùm minuere, sed etiam ex toto delere, atque ità opus malum fieri bonum, si bona intentione fiat, sic *Eustrac.* 1. *Ethic. c.* 1. docet mendacium quidem esse turpe, sed aliquando non fieri turpiter ob bonum finem, & Cassian. *collat.* 7. *c.* 7. dicit licere dicere mendacium aliqua gravi de causa, idem sensisse videtur Chrys. ad Gal. 2. quod probant ex illo Mat. 6. *si oculus tuus simplex fuerit &c.* ubi per oculum denotatur intentio. Dicendum tamen est cum communi, quod sola intentio bona, seu finis bonus, licet diminuat malitiam electionis, non tamen sufficit ad eam simpliciter tollendam, imò potius totum opus est simpliciter malum; & quidem quod non sufficiat ad eam simpliciter tollendam expressè traditur in *c. super* de usuris, ubi habetur, quod Sacra Scriptura prohibet mentiri etiam pro salvanda vita, aut pro vitandis quibuscunque aliis malis, & peccatis; idem habetur in Cap. *primum*, & *cap. Ne quis* 22. *q.* 2. hoc idem constat ex Scriptura 1. Regum 15. ubi Saul Rex reprehensus fuit, eo quod quædam spolia contra Dei præceptum asseruavit, licet ob honestum finem Deo sacrificandi id fecerit; quarè Paulus ad Rom. 3. regulam tradidit generalem, non esse facienda mala, ut eveniant bona. Hoc idem probatur evidenti ratione, quia bonitas moralis ex supradictis consurgit ex integritate omnium, quæ ad actionem hominis requiruntur, sed existente vel unica circumstantia notabiliter mala, actus caret huiusmodi integritate; ergò &c. Confirmatur tam in naturalibus, quàm in operibus artis simpliciter dicitur turpis facies, quæ una tantùm parte notabili sit deformis, ergò &c in moralibus; Regula item Dialecticorum est, conclusionem sequi deteriorem partem; ergò sicut actus discursivus, ita & actus voluntatis ex deteriori parte speciem habebit.

250 Neque urget auctoritas adducta Matth. 6. si quidem per oculum à pluribus Patribus non intelligitur intentio; sed mens, & pars spiritualis animæ, quæ si pura sit, erunt etiam rectæ aliæ operationes, inferiores, quæ rationi subiacent, quæ intelliguntur nomine reliqui corporis, ità Hilarius, Hieron. Chrys. & Theoph. ibidem; Deindè si per oculum intelligatur intentio, respondendum est ex Bernardo lib. de præcepto, & dispens. ubi hanc dubitationem ex instituto tractat, non esse oculum simplicem, nisi cum recta intentione etiamsi opus sit rectum; nam ut intentio sit bona, non solùm bonus finis debet intendi, sed etiam benè. Dices, interfectio hominis est mala, si autem fiat à Iudice ob bonum commune evadit bona, & si etiam fiat à persona privata in sui defensionem. Resp. duo esse malorum genera, alia sunt mala natura sua, & hæc nunquam ex bona intentione, aut ex alia quacumque circumstantia fiunt bona, ut mendacium, idololatria, periurium, odium Dei, blasphemia, &c. alia verò non sunt mala natura sua, sed solùm ex aliqua circumstantia adueniente, ut ex aliquo præcepto positivo prohibente, vel alia circumstantia; atque ita interfici hominem à privata persona est malum, at interfici à Iudice ob bonum commune non est malum: sicut etiam neque malum est interfici à priuata persona, adiuncta circumstantia ad sui defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ; sic etiam non audite sacrum in die festo malum est, quia est contrà præceptum, sed ad vitandum periculum mortis non est malum, quia præceptum non est impositum cum tanto periculo.

Dices, ex regula cõmuni, *ex duobus malis minus est eligendum*: ergò si mendacium occurrat dicendum, ut vitentur graviora facinora, tunc erit licitum. Negatur consequentia, aliud enim est dicere, ex duobus malis minus eligi posse, ac debere, quandò alterum est necessariò faciendum: aliud verò, facere malum culpæ cum ordinatione ad aliquem bonum finem: primum in eo casu licet; secundum nunquam licet: ratio est, quia in eo casu non eligitur alternum eorum, ut malum, (sed ut minus malum, atque adeò ut bonum, quatenus in comparatione majoris mali induit speciem bonitatis penitus omnibus nihil potest tunc facere; quod melius sit, & semper potest sub aliqua determinata rationi boni honestè operari, quæ pro qualitate, & materia circumstantiarum nunquam deficit, saltem secundum probabilem, & prudentem apparentiam, ut notat Bec. *q.* 8. *num.* 7. ex quo deducitur quanta sit perversitas mali culpæ: minimum enim malum culpæ adeò est malum, ut in comparatione cujuscunque mali, quod non sit peccatum agenti non cesset esse malum: unde propter nullum malum evitandum, quod agenti non sit peccatum, etiamsi ageretur de impediendis peccatis totius mundi, potest fieri minimum malum, quod sit peccatum, ut docet D. Aug. in libro contrà mendacium: at malum culpę in comparatione alterius mali, quod agenti affert gravi peccatum, sæpè fit bonum, vel licitum.

Quod verò bonitas finis, vel intentionis minuat malitiam electionis est etiam communis, & vera sententia: & hic planè 251
videtur communis omnium sensus; nullus enim est, qui non judicet se minus peccare, si mendacium dicat, ut impediat interfectionem insignis viri, ac toti Reipublicæ necessarii, quam si idem mendacium diceret ob recreationem, vel ad socium deludendum: undè & in praxi videmus mitius, & facilius ea peccata ignosci, quæ ob finem bonum alioqui facta sunt, quàm ob finem malum patrata, vel indifferentem; Et planè, si contedunntur aliquæ circumstantiæ, quæ dicuntur diminuentes, eò quia minuant peccati malitiam, quatenus excludunt oppositam circumstantiam, quæ illam augeret; tantò magis idipsum de bono fine concedendum erit, qui inter circumstantias existimatur esse prima; Video tamen altercationem esse inter Doctores in invenienda ratione, qua id peculiariter probetur de circumstantia finis, ut est videre apud Vasquez *disp.* 69. *cap.* 1. Arriag. *disp.* 15. *sect.* 6. & alios; Probant aliqui quia mala electio habens appositum finem bonum habet minus mali, quàm alia habens appositum finem malum; Sed hæc ratio probat tantùm electionę malam ex bono fine procedentem esse minus malam extensivè, quia circa pauciora objecta mala versatur, quàm si ex malo quoque fine procederet, quo sensu furans ob luxuriam magis peccare dicitur, quàm furans ad dandam eleemosinam, quia hic finis addit novam malitiam in alio genere; at præsens quæstio non est, an finis bonus minuat malitiam electionis furti extensivè, quatenus appositio boni finis excludit circumstantiam finis mali, quia de hoc nulla est dubitatio; sed quæstio est de diminutione intensiva electionis malæ, nempè in eodem genere furti, ut sensus sit, an malitia furti, ut talis, sit minor, si fiat ex intentione boni finis.

Vasquez probat, quia omne id, quod eligitur, ut medium, est minus voluntarium, quàm quod eligitur, ut finis; sed diminutio voluntarii diminuit etiam malitiam in eodem genere; ergò minus malum est propter bonum finem aliquid appetere, quam propter se, quia malitia electionis in tali casu est minus voluntaria, cùm non appetatur propter seipsam, sed propter bonitatem finis extrinseci, siquidem ad illam movetur voluntas non ex malitia objecti ejus, sed prout allecta ex fine illo extrinseco. Sed in hoc sensu quoque intentio mala minueret malitiam electionis, quia voluntas tunc etiam dicitur moveri ad malam electionem, potius allecta ex fine extrinseco malo, ut si quis furetur ob luxuriam, quàm ex ipso immediato electionis objecto; unde in hoc sensu finis bonus non magis dicetur minuere malitiam electionis, quàm afius finis malus, aut indifferens. Ratio igitur, cur malitia mendacii minuatur etiam in eodem genere, quando fit ad salvandam vitam alicujus, est, quia ex appositione boni finis impeditur ne expresè fiat, non tantùm propter alium malum finem, sed nec etiam propter malitiam ipsius objecti; & quia eligens malum medium ad bonum finem consequendum, jam eo ipso ostendit minus affici circa malitiam talis objecti, quatenus talem, quandoquidem ideò præcisè illam admittit, quia apprehendit ut utilem ad honestatem, & quia quodammodo judicat eam malitiam ex appositione boni finis aliqualiter compensari, aut saltem minorem reddi; & in hoc sensu communiter dici solet bonam intentionem aliqualiter excusare peccatum.

Obiicies, si ex bona intentione opus malum redditur minus 252
malum; ergo ex meliori intentione reddetur etiam minus malum; ergò crescente bonitate intentionis tandem malitia medii delebitur, est enim finita, quæ per partes absumitur. Accedit quod talis diminutio malitiæ non videtur fieri posse, dando bonitatem actui electionis; ergò actus ille erit simul bonus, & malus, quod est impossibile, ut statim dicemus. Respondeo negando consequentiam, quia malitia electionis non minuitur per partes æquales, itaut per unum gradum bonitatis finis tollatur unus gradus malitiæ operis, quia fine dubio hoc modo tota paulatim tolleretur, sed minuitur per partes proportionales, quatenus minuitur voluntarium; cùm igitur per augmentum finis boni supponamus nunquam tolli voluntarium mali medii, ideò nunquam tollitur per augmentum finis boni malitia medii mali. Ad Confirm. dico bonam intentionem non minuere malitiam pravæ electionis modo positivo; dando, scilicet, illi aliquid bonitatis, (sed solùm negativè, modò jam explicato, quatenus impedit ne expresè fiat propter malitiam ipsius objecti, aut saltem non ità voluntatiè.

Quinta difficultas.

253 Quinta difficultas est, an malitia intentionis inficiat totaliter electionem boni medii, vel potius aliqualiter cum ea consistat, itaut actus ille sit simul bonus, & malus. Affirmant posse simul consistere Almain. *tract. 1. Moral. c. 12.* Cajetan, *par. 2. q. 18. art. 9.* Corduba *l. 2. q. 23.* Granad. *controv. 2. tract. 14. disp. 1.* Negant alii communiter Vasquez, Suarez, Salas, Valentia, Montesin. Salmant. Medina, Curiel, Amicus, Aversa, Arriaga, & alii passim asserentes à mala intentione vitiari simpliciter electionem boni medii, si hæc intrinsecè attingat illud medium, & sit verè causa illius, sicut è contra dicendum est, bonam intentionem vitiari simpliciter ex malo medio; quia licet talis finis sit materialiter bonus, formaliter tamen, quatenus finalizat, est malus, quia finalizat volitus objectivè per malum medium, ac proindè redditur malus ex circumstantia, quæ vocatur *quibus auxiliis*, ac etiam finalizat causando illud medium malum, cùm omnis finis sit causa electionis mediorum, redditur etiam malus ex circumstantia *quid*, quatenus denotat effectum secutum. Fundamentum est cummune pronunciatum ex Dionys. Bonum est ex integra causa, malum ex quocunque defectu, quod ita explicat Doctor *quol.* 18. ut bonitas moralis consurgere debeat ex integritate omnium; quæ ad actionem humanam requiruntur, itaut una sola circumstantia deficiente, totus actus dicatur simpliciter malus. Confirm. quia bonitas moralis ex dictis consistit in conformitate ad regulas morum, seu ad rationem, quæ est proxima moralitatis regula; sed recta ratio dictat actum, ad hoc ut sit bonus, debere excludere omnem obliquitatem, & deviationem tam ex parte objecti, quàm circumstantiarum ergo &c. Demum, si posset esse aliquis actus bonus ex objecto, & malus ex fine, tunc idem actus esset simul meritorius & demeritorius; quam consequentiam non video, qua ratione negaverit Cajet. cùm ratio meriti, & demeriti sequatur velut passio ad bonitatem, seu malitiam moralem.

254 Respondent bonitatem ex objecto desumptam esse actui essentialem, ac proindè impediri non posse ex appositione mali finis extrinseci, quin refundatur in actum; quarè dum jejuno ex vana gloria remanet talis actus ex objecto essentialiter bonus, & solum accidentaliter inficitur ex circumstantia mali finis extrinseci. Contrà, quia licet bonitas temperantiæ sit veluti in actu primo essentialis tali actui ex objecto, quatenus hoc talem bonitatem aptum est in illum refundere, tamen in actu secundo, & exercito non semper eam refundit, quando adsunt impedimenta; quarè sicut interveniente ignorantia, aut defectu libertati non refunditur, ita neque refunditur interveniente mala circumstantia, quia bonum est ex integra causa. Confirm. quia ut constat ex dictis suprà, ut objectum suam honestatem refundat in actum, vel debet intendi, ut formaliter honestum, vel saltem ut utile ad ulteriorem finem honestum consequendum, itaut ipsa honestas, ut sic, sit fundamentum talis utilitatis; sed nequit objectum honestum volitum propter malum finem ullo ex his modis intendit; ergò sic volitum nequit in talem volitionem suam formalem bonitatem refudere; minor probatur, quia quando objectum honestum intenditur propter malum finem, intendi non potest cum conformitate ad rectam rationem, & regulam morum, siquidem talem conformitatem objectivam habere nequit in ordine ad rationem, nisi consideretur vel ut honestum in se, vel saltem, ut utile ad aliquem finem honestum; ordinatio autem ad malum finem quod est motivum, propter quod voluntas tendit in medium honestum propter malum finem omnem talem conformitatem excludit obiectivam a medio, & consequenter omnem formalem ab actu.

255 Sed Obiicies, quia in naturalibus bonitas naturalis alicujus rei potest stare cum aliquo ejus defectu, ut patet in homine, cui deest aliquis oculus; ergo etiam in moralibus bonitas essentialis quæ sumitur ex objecto, poterit stare cum malitia ex fine, vel alia circumstantia. Confirmatur ex regula Iuristarum quod *utile per inutile non vitiatur L. 1. ff. de verb. oblig.* si ergo actus electionis ex parte medii est bonus, per malitiam finis non vitiabitur. Deniq; est etiam regula Canonistarum & Theologorũ posse actum excusari a tanto, & non a toto; ergò datur vel dari potest actus partim bonus, scilicet ex objecto, & partim malus scilicet, ex fine, vel è contrà. Respondeo ex Scoto *quol.* 18. duplicem esse bonitatem naturalem, aliam primariam, quæ dicitur entitativa, & essentialis, & est passio entis; aliam secundariam, & accidentalem; si fiat sermo in assumpto de bonitate naturali secundaria negatur, quia etiam in naturalibus dicitur turpis facies, quæ una tantùm notabili parte sit deformis; si verò de primaria, ac entitativa, concesso assumpto, negatur paritas, quia cum perfectione essentiali stat defectus, seu imperfectio accidẽtalis; illa namque sumitur præcisè ab eo, quod est à parte rei; at bonitas moralis non sumitur ex objecto, ut est à parte rei, sed prout regulatum per regulas morum, & à prudentia dictatum; hæc autem proponit objectum benè circumstantionatum, & excludit omnem obliquitatem, ac defectum; atque ideò in moralibus in uno, ac eodem actu, bonitas ex parte objecti, & malitia ex parte circumstantiæ consistere nequeunt.

Ad Confirmationem Alciatus in d. L. ait illud axioma veritatem habere in his, quæ separationem accipere possunt, qualis est actus cõstans ex pluribus partibus; falsum autem esse in individuis, ubi per individuum, rem intelligit, sive opus, quod non accipit divisionem sine corruptione; itaque bonitas actus in proposito ex malo fine vitiatur, quia actus præsertim interior secundum suam formam, ut moralis, est indivisibilis in hoc sensu, quatenus ejus bonitas consistit in integritate omnium, & singulæ circumstantiæ totum afficiunt actum, ut v. g. si comedit quis loco, quo non decet, sed tantum cibum, quantum oportet, in ista comestione non potest assignari aliqua realis pars distincta, quæ sit affecta mala circumstantia, & altera, quæ sit affecta bona circumstantia, sed tota entitas illius actionis est facta in loco incongruo; quod si actus ita consteret ex pluribus partibus, ut assignari queat una pars affecta mala circumstantia, & alia non, ut patet de recitatione divini officii, quæ ab initio cum attentione fieri potest, & in fine cum distractione: tunc circumstantia mala non afficit totum actum secundum totam suam durationem, sed solùm illam partem, quæ sit tempore distractionis, & tunc verificatur regula, quod utile per inutile non vitiatur. Ad ult. negat consequentia, cùm hoc enim quod actus excusetur à tanto, & non à toto, stat adhuc esse simpliciter, & totaliter malum, minoris tamen malitiæ, & ideò minori pæna dignum ex aliqua circumstantia; ita qui fornicatur ex gravi tentatione excusatur aliqualiter à peccato, scilicet, à magnitudine culpæ, quam turpitudo actus sua natura habere potest, sed non à toto, idest; à specie fornicationis.

256 Deindè obiicies, circumstantia mala finis adiuncta objecto honesto nõ tollit intrinsecam honestatem ipsius; ergò nec tollit, quin illam possit actui humano communicare in ipsum tendẽti; consequentia patet; probatur assumptum, quia quando circumstantia mala non opponitur virtuti, cui extrinsecè tãtùm adiungitur, non tollit honestatem illius. Confirm. quia potest honestas virtutis, ut sic, esse medium ad malum finem consequẽdum v. g. vanã gloriam; ergo potest eligi tale medium ad talem finem consequendum, ut honestum formaliter, vel saltem, ut utile ad finem honestum consequendum; consequentia patet, probatur assumptum, quia non potest eleemosina v. g. concedere ad talem finem, nisi quatenus operantem reddit laude, vel gloriam dignũ nec potest sic reddere dignum, nisi tanquam honestum intendatur. Tandem adhuc appofito fine vanæ gloriæ, actus largiendi eleemosinam est elicitus à virtute misericordiæ, & actus jejunandi à virtute temperentiæ; ergò actus illi adhuc manent cum sua honestate essentiali ex objecto desumptum, & solum accidẽtaliter inficiuntur ex fine. Respondeo quod circumstantia mala finis adjuncta objecto honesto, licet non tollat intrinsecam honestatem ejus in actu primo, tollit tamen in actu secundo, quatenus impedit, ne infundantur in actum; objectum namq; honestum non communicat honestatem suam actui, utcunque in ipsum tendenti, sed eo modo, quo proponitur, & præcipitur prudentia; hæc autem præscribit, quod actus tendat in objectum benè circumstantionatũ, ut honestatem ab eo desumere possit.

Ad Confirmationem negatur assumptum; eo enim ipso quod objectum honestum assumitur, ut medium ad malum finem, assumitur, ut honestum formaliter, quia non assumitur, ut prudentia dictatur assũmendum esse; ad probationem dico, ut medium virtutis conducat ad vanæ gloriæ consecutionem, satis esse, quod assumatur, ut honestum materialiter tantùm, & cum quadam specie honestatis apparentis; hoc enim, sufficit, ut operantem laude, & gloriam dignum reddat apud homines putatiuè, qui de externis tantum judicant.

Ad ultimum negatur etiam assumptum, nempè eos actus esse ab illis virtutibus elicitos, quia habitus aliquis non induit rationem virtutis, nisi per coexistentiam ad dictamen prudentiæ, nec ulla virtus elicit actus nisi prout à prudentia regulatos, undè Arist. 2. Ethic. virtutem definivit, quod sit habitus electivus, ut prudens determinaverit, & quia prudentia non determinat objectum nisi rectè circumstantionatum, ideò virtutes suos actus non excusari a tanto, & non a toto; ergò datur vel dari potest actus partim bonus, scilicet ex objecto, & partim malus scilicet, ex fine, vel è contrà. Respondeo ex Scoto *quol.* 18. duplicem esse bonitatem naturalem, aliam primariam, quæ dicitur entitativa, & essentialis, & est passio entis; aliam secundariam, & accidentalem; si fiat sermo in assumpto de bonitate naturali secundaria negatur, quia etiam in naturalibus dicitur turpis facies, quæ una tantùm notabili parte sit deformis; si verò de primaria, ac entitativa, concesso assumpto, negatur paritas, quia cum perfectione essentiali stat defectus, seu imperfectio accidẽtalis; illa namque sumitur præcisè ab eo, quod est à parte rei; at bonitas moralis non sumitur ex objecto, ut est à parte rei, sed prout regulatum per regulas morum, & à prudentia dictatum; hæc autem proponit objectum benè circumstantionatum, & excludit omnem obliquitatem, ac defectum; atque ideò in moralibus in uno, ac eodem actu, bonitas ex parte objecti, & malitia ex parte circumstantiæ consistere nequeunt.

Ad Confirmationem Alciatus in d. L. ait illud axioma veritatem habere in his, quæ separationem accipere possunt, qualis est actus cõstans ex pluribus partibus; falsum autem esse in individuis, ubi per individuum, rem intelligit, sive opus, quod non accipit divisionem sine corruptione; itaque bonitas actus in proposito ex malo fine vitiatur, quia actus præsertim interior secundum suam formam, ut moralis, est indivisibilis in hoc sensu, quatenus ejus bonitas consistit in integritate omnium, & singulæ circumstantiæ totum afficiunt actum, ut v. g. si comedit quis loco, quo non decet, sed tantum cibum, quantum oportet, in ista comestione non potest assignari aliqua realis pars distincta, quæ sit affecta mala circumstantia, & altera, quæ sit affecta bona circumstantia, sed tota entitas illius actionis est facta in loco incongruo; quod si actus ita consteret ex pluribus partibus, ut assignari queat una pars affecta mala circumstantia, & alia non, ut patet de recitatione divini officii, quæ ab initio cum attentione fieri potest, & in fine cum distractione: tunc circumstantia mala non afficit totum actum secundum totam suam durationem, sed solùm illam partem, quæ sit tempore distractionis, & tunc verificatur regula, quod utile per inutile non vitiatur. Ad ult. negat consequentia, cùm hoc enim quod actus excusetur à tanto, & non à toto, stat adhuc esse simpliciter, & totaliter malum, minoris tamen malitiæ, & ideò minori pæna dignum ex aliqua circumstantia; ita qui fornicatur ex gravi tentatione excusatur aliqualiter à peccato, scilicet, à magnitudine culpæ, quam turpitudo actus sua natura habere potest, sed non à toto, idest; à specie fornicationis.

256 Deindè obiicies, circumstantia mala finis adiuncta objecto honesto nõ tollit intrinsecam honestatem ipsius; ergò nec tollit, quin illam possit actui humano communicare in ipsum tendẽti; consequentia patet; probatur assumptum, quia quando circumstantia mala non opponitur virtuti, cui extrinsecè tãtùm adiungitur, non tollit honestatem illius. Confirm. quia potest honestas virtutis, ut sic, esse medium ad malum finem consequẽdum v. g. vanã gloriam; ergo potest eligi tale medium ad talem finem consequendum, ut honestum formaliter, vel saltem, ut utile ad finem honestum consequendum; consequentia patet, probatur assumptum, quia non potest eleemosina v. g. concedere ad talem finem, nisi quatenus operantem reddit laude, vel gloriam dignũ nec potest sic reddere dignum, nisi tanquam honestum intendatur. Tandem adhuc appofito fine vanæ gloriæ, actus largiendi eleemosinam est elicitus à virtute misericordiæ, & actus jejunandi à virtute temperentiæ; ergò actus illi adhuc manent cum sua honestate essentiali ex objecto desumptum, & solum accidẽtaliter inficiuntur ex fine. Respondeo quod circumstantia mala finis adjuncta objecto honesto, licet non tollat intrinsecam honestatem ejus in actu primo, tollit tamen in actu secundo, quatenus impedit, ne infundantur in actum; objectum namq; honestum non communicat honestatem suam actui, utcunque in ipsum tendenti, sed eo modo, quo proponitur, & præcipitur prudentia; hæc autem præscribit, quod actus tendat in objectum benè circumstantionatũ, ut honestatem ab eo desumere possit.

Ad Confirmationem negatur assumptum; eo enim ipso quod objectum honestum assumitur, ut medium ad malum finem, assumitur, ut honestum formaliter, quia non assumitur, ut prudentia dictatur assũmendum esse; ad probationem dico, ut medium virtutis conducat ad vanæ gloriæ consecutionem, satis esse, quod assumatur, ut honestum materialiter tantùm, & cum quadam specie honestatis apparentis; hoc enim, sufficit, ut operantem laude, & gloriam dignum reddat apud homines putatiuè, qui de externis tantum judicant.

Ad ultimum negatur etiam assumptum, nempè eos actus esse ab illis virtutibus elicitos, quia habitus aliquis non induit rationem virtutis, nisi per coexistentiam ad dictamen prudentiæ, nec ulla virtus elicit actus nisi prout à prudentia regulatos, undè Arist. 2. Ethic. virtutem definivit, quod sit habitus electivus, ut prudens determinaverit, & quia prudentia non determinat objectum nisi rectè circumstantionatum, ideò virtutes suos actus non excusari a tanto, & non a toto; ergò datur vel dari potest actus partim bonus, scilicet ex objecto, & partim malus scilicet, ex fine, vel è contrà. Respondeo ex Scoto *quol.* 18. duplicem esse bonitatem naturalem, aliam primariam, quæ dicitur entitativa, & essentialis, & est passio entis; aliam secundariam, & accidentalem; si fiat sermo in assumpto de bonitate naturali secundaria negatur, quia etiam in naturalibus dicitur turpis facies, quæ una tantùm notabili parte sit deformis; si verò de primaria, ac entitativa, concesso assumpto, negatur paritas, quia cum perfectione essentiali stat defectus, seu imperfectio accidẽtalis; illa namque sumitur præcisè ab eo, quod est à parte rei; at bonitas moralis non sumitur ex objecto, ut est à parte rei, sed prout regulatum per regulas morum, & à prudentia dictatum; hæc autem proponit objectum benè circumstantionatum, & ex-

lus det ob aliquem pravum finem, in tali enim casu largitio erit simul bona, & mala. Respondeo legem interdum præcipere actus bonos quod substantiã, non curando de modo adimpletionis, & tunc per actum bonum materialiter tantùm adimpletur præceptum, licet sit formaliter malus, quia nimirum lex præcepit pręcisè actum circa tale obiectum bonum, non autem cum omnibus circumstantiis simpliciter requisitis ad bonitatem actus. Ad Confirm. potest utique idem actus exterior relatus ad voluntatem unius esse illi malus, & ad voluntatem alterius esse illi bonus; quia prava voluntas unius non afficit actum prout est à voluntate alterius, ut patet de passione Christi, utique in le optima, mala autem respectu crucifigentium; respectu tamen ejusdem voluntatis nunquam potest idem actus esse simul bonus, & malus.

QVÆSTIO QVINTA.

An actus externus addat aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interno.

258 NOmine actuum externorum, ut hic passim Auctores advertunt, intelliguntur omnes illi, qui non eliciuntur à voluntate, sed tantùm imperantur: veluti sunt actus intellectus, sensus, appetitus, & membrorum externorum, quatenus arbitrio, ac imperio voluntatis sunt obiecti: Certum est autem apud omnes actum exteriorem bonum, vel malum in sua bonitate, vel malitia formali, ac veluti in esse exercito, dependere ab actu interno imperante bono, vel malo, qua ratione Scotus *loc. cit.* actum exteriorem appellat bonum, vel malum materialiter, & secundariò, idest, dependenter ab actu interiori, itaut hoc ablato actus exterior nullo pacto esset bonus, vel malus, ratio est, quia actus exterior, & quicunque imperatus non habet libertatem, nisi dependenter ab actu interiori; nam immediatè est necessarius, cùm procedat à principio determinato, & non indifferenti; ergo in sua bonitate, vel malitia formali dependet ab actu interiori; consequentia patet, quia actus non potest esse bonus, vel malus in genere moris, nisi sit liber, actus autem exterior est liber dependenter ab actu interiori. Si dicas, actum interiorem esse bonum, vel malum, quia respicit exteriorem bonum, vel malum, ergò potius bonitas, & malitia primariò est in actu exteriori, & postea in interiori dependenter ab illo. Responsio constat ex dictis *n. 178.* ex hoc tantùm deduci bonitatem, & malitiam obiectivam, ac veluti in esse signato prius convenire actui exteriori per modum obiecti modo ibidem declarato; res autem è contrà se habet loquendo de bonitate, vel malitia formali, ac veluti in esse exercito ob rationem allatam; neq; ex hoc ullus sequitur vitiosus circulus, aut dependentia mutua quoad idem; nam interior, & imperans dependet à bonitate, vel malitia objectiva exterioris, & imperati; & hic è contrà accipit ab interiori, & imperante bonitatem, & malitiam, non quidem obiectivam, sed formalem, & actualem.

259 Hoc igitur supposito, quæstio est, an quando in eodem supposito actus externus sequitur internum circà idem obiectum v. g. elargitio eleemosinę volitionem eius; vel actualis fornicatio efficacem eius volitionem, nùm addat propriam, ac distinctam bonitatem, vel malitiam suprà eam, quæ jam in interiori supponitur esse; quod neque intelligendum est tantum de additione intensiva, ut notat Scotus *quol.* 18. A. sed præsertim est quæstio de extensiva; siquidem de intensiva loquendo, certum est actum exteriorem regulariter addere aliquid bonitatis, vel malitię actui interiori caulaliter, vel occasionaliter, quia eo posito intenditur internus, ut docet Aug. *9. de Trin. c. ult.* & ipsa experientia constat; qui enim re ipsa martyrium patitur regulariter ex hoc capite plus meretur, quàm qui illud etiam efficaciter exoptat: dùm enim re ipsa patitur, occasionem habet eliciendi novos, ac plures, & intensiores actus, & dùm re ipsa quis fornicatur, hic actus exterior reddit utrq; affectum interiorem fornicandi intensiorem, quàm anteà esset; tota igitur difficultas est de additione bonitatis, & malitia extensiva, itaut sensus quæsiti sit, inquit Doctor; an actus exterior, quando in eodem supposito coniunctus est cum interiori, habeat propriam, ac distinctam bonitatem, vel malitiam superadditam illi, quæ supponitur in actu interiori, ratione cuius tota bonitas, vel malitia interna, vel externa extensivè sit maior, adeout qui habet actum internum simul cum externo sit maiori præmio, vel pœna dignus, quàm si solùm haberet actum internum etiam efficacem ab externo separatum ob aliquod impedimentum; ut v. g. volens efficaciter committere homicidium sed non potest illud exequi ob aliquod impedimentum, tantum demereatur, ac tantam contrahat malitiam quantùm si actu exteriori homicidium patraret, & è contrà, an volens efficaciter martyrium pro Christo pati, sed non potens id exequi ob occasionis defectum, tantùm mereatur, ac si re ipsa martyrium subiret.

260 In hac famosa controversia partem affirmantem docuit Scotus 2. *dist.* 42. *q.* 4. §. *quantum ad* 2. & ex professo *quol.* 18. *ar.* 3. Alensis 2. *par. q.* 107. *memb.* 8. *ar.* 2. & 4. *par. qu.* 77. *memb.* 3. *art.* 3. D. Bonav. 2. *dist.* 4. *ar.* 2. *qu.* 1. & *dist.* 42. *ar.* 1. *qu.* 2. quem miror pro opposita citari sententia cum ibi in corpore quæsiti benè explicet, quomodo opus addat aliquid ad bonitatem, & nequitiam voluntatis: idem docent Scotistæ omnes veteres *loc. cit.* Bassolius, Tataretus, Lichetus, Gratianus, Rubion, item Recentiores, Angles, Herrera *disp.* 33. *qu.* 2. Poncius *disp.* 21. *qu.* 7. Faber de pœnitentia *disp.* 2. Vulpes *disp.* 74. *ar.* 3. & 4. qui duo postremi aiunt actum exteriorem addere bonitatem, vel malitiam interiori; non tantùm numero distinctam, sed etiam specie: quam sententiam amplectuntur etiam quidam Juniores extrà nostram scholam, ut Ripalda *disp.* 68. *sect.* 5. Amicus *disp.* 18. Granad. *p.* 2. *tract.* 14. *controv* 2. *disp.* 6. *sect.* 2. & alii. Negantem verò partem docet universa Thomistarum Schola cum D. Thoma *p.* 2. *q.* 2. *ar.* 3. & 4. Caiet. Medina, Conradus, Alvarez, Salmaticenses. Suarez, Vasquez, Salas, Ovvied, Calpensis, Arriaga, Aversa, Valentia, Serra, Hacquetus, Lezana, Morandus, & alii passim.

Plures tamen huius negantis sententiæ sectatores fortè rationibus pressi opinionis oppositę hoc ita explicant, quod cum dicunt actum exteriorem nihil bonitatis, vel malitiæ addere actui interiori, nihilque meriti, vel demeriti, id debere intelligi, inquiunt, tantum in ordine ad præmium, vel pœnam essentialem; quia alioqui quoad accidentalem pœnam, vel pręmium, malus aliquid respondebit illi, qui re ipsa peccavit ob pœnam gaudium in Beatis, & tristitia in damnatis; atque ita concludunt actum exteriorem secundum quid tantum hominem meliorem, aut peiorem efficere, non verò simpliciter; ita Aversa *q.* 20. *sect.* 5. Serra *q.* 20. *ar.* 4. Pallavicin. *disp.* 9. *q.* 2. *ar.* 4. Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. ex Riccard. Durand. Capreol. Caiet. & aliis antiquioribus, undè cum meritum, vel demeritum sequantur bonitatem vel malitiam humanorum actuum, veluti passiones concedunt actum exteriorem addere aliqualem bonitatem, vel malitiam interiori, qualis nimirum, & quanta sufficit in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem; ex quo factum est, ut non sine fundamento aliqui sint opinati hanc esse controversiam de solo nomine; quia hoc solum sufficit ad astruendam distinctam bonitatem, vel malitiã in actu exteriori suprà interiorem tùm etiã quia gratis negatur actui externo augmentũ quoque præmii vel pœnæ essentialis. Vndè Rubion 2. *dist.* 42. *q.* 1. *ar.* 2. referens hunc dicendi modum, ut fuis temporibus valdè communem, ita eum refert, ut eius Auctores admitterent quidem in actu exteriori distinctam bonitatem; vel malitiam ab ea, quæ est in interiori, non nisi tamen sufficientem ad aliquod præmium, vel pœnam accidentalem; quarè si ita sentiunt Thomistæ, ut explicat Serra, Divi Thomæ sententiam *loc. cit.* jam cum Scoto conveniunt; & sola remanet quæstio, an bonitatis & malitiæ actus exterioris, possit correspondere quoque pręmium, vel pœna essentialis.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur quæstum affirmativè.

DIcendum est cum prima sententia actum exteriorem habere distinctam bonitatem, vel malitiam superadditam illi quæ supponitur in interno, itaut cum ipso faciat maiorem, vel minorem bonitatem, vel malitiam extensivè quam quidem ceteris pariibus solus internus non haberet. Hoc assertum probat Doctor *quol.* 18. *ar.* 3. expresso D. Aug. testimonio 13. de Trin. *c.* 5. dicentis. *mala voluntate, vel quilibet miser efficitur. sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis adimpletur*, hoc autem, inquit Doctor, non potest intelligi de miseria pœnæ, quia desiderans, & non potens habere, quod desiderat, plus habet de pœna, quàm ille cuius desiderium impletur; Intelligitur ergo de malitia culpę, atque ideò actus malus exterior addit ad miseriam culpæ, quæ præsuit in actu interiori malo, & idem erit de bonitate à paritate rationis. Respondent Adversarii Augustinum loqui de incremento intensivo malitiæ, non autem extensivo, quatenus volitio interna intensior redditur occasione actus externi modo explicato *n.* 259. Sed Contrà, quia licet hæc solutio possit habere locum in quibusdam actibus internis, non tamen in omnibus; siquidem ea, quæ fiunt ex metu, tollunt ab actibus internis intensionem, ut proiectio mercium datio bursæ latroni, ne occidat, & similes actus externi ex metu elici volitionem internam remittunt; & actus externi ex concupiscentie elicii, licet dum actu fiunt, volitionem intendant, quia tunc maiori impetu, & voluptate voluntas fertur in obiectum concupitum; tamen ex alla parte libertatem diminuunt, & consequenter miseriam culpæ; ergò si tales actus exteriores non habent in se malitiam propriam, quam addant, non facient voluntatem miseriorem; cùm igitur August. universaliter dicat peiorem esse voluntatem, quæ vult malè operari, & simul malè operatur; quam si suum desiderium non adimpleat, certè non potest intelligi de solo incremento intensivo.